Universitätsbibliothek Paderborn

Annales Ecclesiastici

Incipiens ab Anno Domini D.XVIII. perducitur vsque ad Annum D.XC. nempe ab Anno primo Iustini Senioris, vsque ad quintum Mauritij Augusti. Complectitur annos LXXIII.

Baronio, Cesare

Coloniæ Agrippinæ, 1624

Iesv Christi Annus 562. Ioannis Pap. Annus 3. Ivstiniani Imp. Annus 36.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14926

Visual Library

IESV CHRISTI

Annus 562.

IOANNIS PAP. Annus 3. IVSTINIANI IMP. Annus 36.

I. NOuus illuxit annus, idemque Domini quingenteſimus ſexageſimus ſecundus numeratur, atque poſt Baſilij Conſulatum Baſilij vigeſimusprimus, decimæ Indictionis: quo religioſiſſimus Francorũ Rex Childebertus ſanctis operibus clarus ex hac vita migrauit, agens in ſuo regno annos quadragintanouem. Ad hunc vſque annum ſaltem perueniſſe ipſum, vetera ſcriptorũ monumenta anno ſuperiori recitata ſatis docent. Vnde emendes eos, qui eidē tribuunt annos quadraginta quatuornam præter ea, quæ dicta ſunt, conſtat ex Fortunato ad tempora Euphronij Epiſcopi Turonenſis atque Germani perueniſſe, qui haud pridē (vt diximus) creati fuere Epiſcopi. Sane quidem Aimoinus atque Papyrius, qui res Francorum accuratius ſunt proſecuti, ad dictũ à nobis poſitum annorum numerum eumdem Regem perueniſſe teſtantur. Porro vbi defunctus eſt in erecta ab ipſo baſilica S. Vincentij (quod iuſſerat) ſepultus fuit: ad cuius ſepulchrum eiuſmodi inſcriptio exarata legitur a:

Francorum rector, præclarus in agmine ductor,
Cuius & Allobroges metuebant ſoluere leges,
Dacus & Aruernus, Britonum Rex, Gothus, Iberus:
Hic ſitus eſt, dictus Rex Childebertus Honeſtus.
Condidit hanc aulam Vincenti nomine claram
Vir pietate cluens, probitatis munere pollens,*
Amplectens humiles, proſternens mente rebelles,
Templa Dei ditans gaudebat, bona rependens:
Millia mendicis ſolidorum dans & egenis,
Gazarum cumulos ſatagebat condere cælo.

II. Porro idem Rex religionis propenſioris cultus alia plura monumenta reliquit, nempe hoſpitalem domum pauperibus extructam Lugduni, cuius mentio in Concilio Aurelianenſi b, celeberrimum inſuper monaſteriũ Arelatenſe, cuius meminit S. Gregorius c, cum illud locupletat priuilegijs; necnon etiam monaſterium Modoalenſe, in quo S. Carilephus vna cum ſuis monaſticam vitam ſumma excoluit diligentia, vt eius vitæ Acta d ſignificant. Sed & alia multa fuiſſe, non dubium eſt quæ nos latent.

III. Poſt obitum vero Childeberti Regis Clotharius Germanus eius regnum, filiabus eiectis accepit, ſolusque totius Frācorum regni monarchia potitus eſt. Qui Pariſios veniens & in morbum repente incidens à S. Germano eius ciuitatis Epiſcopo, cuius contemptus cauſa ille diuinitus immiſſus erat, curatur, ſed quomodo id acciderit, accipe à Fortunato, dum ait e: *Cum S. Germanus ad glorioſum Clotharium Regem occurriſſet, nec tamen de ſancto viro ſtante ante Palatium ei fuiſſet indicatum: mora facta ante veſtibulum non præſentatus, domum reuertitur. At ſequens nox conſueta oratoris vigilijs ducitur: Rex dolore atque febris inflatione torquetur. Vix primo diluculo ad domum Pontificis à proceribus concurſatur: pœna Regis exponitur; & vt ſua viſitatione Regis doloris vim mitiget, optimates deprecantur. Mox apud pietatis virum iniuriæ cauſa poſt ponitur: & qui ante nec nunciabatur, intrat iam honoratus, & exoratus Palatium viſitat. Tunc Rex vix aſſurgens de lectulo, cæſum ſe diuino flagello comperiit, allambitq; palliolum, & veſtem ſacerdotis deducit gaudens per loca doloris: culpam namque confeſſus eſt criminis, & ſic dolor omnis fugatur. Itaque actum eſt, vt cuius incurrebat de contemptu periculum, ſentiret de contactu remedium.* hæc Fortunatus. Porro vbi monarchiam Clotharius Galliarum obtinuit, cum cæteros viros ſanctos, tum præcipue S. Maurum, qui à S. Benedicto miſſus erat in Gallias ad propagandam vitam monaſticam, coluit, multaq; erga eius monachos exhibuit pietatis officia, atque contulit beneficia, quæ Mauri Acta proſecutus Fauſtus pluribus narrat. Pepercitq; iterum filio ſuo Chramno ſæpius rebellanti Clotharius hoc anno, vbi monarchiam eſt conſecutus, ſed fruſtra: nam de eo iſta Gregorius f:

IV. *Chramnus patri repræſentatur, ſed poſtea infidelis extitit. Cumque ſe cerneret euadere non poſſe, Britannias petijt, ibique cum Conobio Britannorum Comite ipſe & vxor eius & filiæ latuerunt. Vuilicharius autem ſocer eius ad baſilicam S. Martini confugit. Tunc ſancta baſilica à peccatu populi ac ludibrijs, quæ in ea fiebant, per Vuilicharium, coniugemque eius ſuccenſa eſt: quod non ſine graui ſuſpirio memoramus. Sed & ciuitas Turonica ante annum iam igne conſumpta fuerat, & totæ Eccleſiæ in eadem conſtructæ deſertæ relictæ ſunt. Protinus B. Martini baſilica, ordinante Clothario Rege ſtanno cooperta eſt, & in illa qua prius fuerat elegantia reparata.* hæc Gregorius: reliqua autem de Clothario ſuo loco.

V. Sed ratio temporis à nobis exigit, vt doctiſſimum illum & æque ſanctiſſimum virum decus Romanæ nobilitatis præfecturis innumeris diutius illuſtratum commemoremus Aurelium Caſſiodorum, non otioſum illum quidem, licet feriatum degentem in monaſterio, quod extruxerat: vbi velut in portu reſidens poſt naufragia Regum Gothorum, quorum regna Prætoria præfectura curarat, Deo & litteris vacans, reliquũ vitæ tempus ad obitum vſque ſemper aliquem fuiſſe fertiliſſimi ingenij partum edens, effœtam licet annis, fœcundam frugibus ſenectutem ducebat. Scribebat hoc anno Paſchalem computũ, & de Indictione ad inueniēda currēte, ac de Epacta, alijſq; ad Paſchalis temporis computum ſpectantibus. In quib. ſingulis diſponendis quam ad amuſſim in omnib. idem ipſe noſtræ conſentiat Annalium chronographiæ (quod ex alijs teſtibus ſæpe docuimus) ipſum audi iſta dicentem: *Si noſſe vis, quotus annus eſt ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti: computa trigintaſex per quindecim fiunt quingenti quadraginta: his ſemper adde duodecim; & fiunt quinquaginta duo: adde & Indictiones anni cuius volueris, vt puta, decimam, vicies ſemel poſt Conſulatum Baſilij iunioris: ſunt quingenti ſexaginta duo, &c.* ac paulo poſt: *Si vis ſcire, quota eſt Indictio, vt puta vicies ſemel poſt Conſulatum Baſilij Iunioris: ſume ab incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti: id eſt, quingentos ſexaginta duos: his ſemper adijce tria: fiunt quingenti ſexagintaquinque. Hos partire per quindecim: remanent decem; decima eſt Indictio.* hæc ipſe, præſentem deſignans annum.

VI. Nos igitur ab eodem Caſſiodoro hæc accurate tractante accepto hoc anno tradito Indictionis inueniendæ numerandæq; modo, ſingulos poſt hæc annos Indictionis nota ſignaturi ſumus. Cum enim iam prope nos deſiderant *Cōſules, per quos hactenus annos ſingulos numerare conſueuimus, vel admodum infrequentes inueniantur: nihil eſt, vt per eos annos ſingulos numerare poſſimus: vnde opus eſt per Indictionē periodos deducere temporum ſupputationē. In quo illud monendum, quod etſi numeret Caſſiodorus ab incarnatione, nos vero à natali Domini, vnus idemq; annus Domini eſt, cum nouem tantũ intercedant ab incarnationis tempore vſq; ad natalem ipſius diem, idemque annus ſit ſub Conſulatu Baſilij vicies ſemel ſignatus, vt etiam numeratum eum vides à Caſſiodoro. Verum ſi à menſe Septembri, more maiorum numerare cœperis Indictiones, tunc fiet, vt nō eadem ſit Indictio anni ab incarnatione numerati, & eius, qui exorditur à ſequenti natali Domini: ſæpe enim opus erit, vt vnius numero creſcat annus à Domini natali notatus: ſicque hic ipſe annus Domini quingenteſimus ſexageſimusſecundus, ſub Conſulatu Baſilij vicies ſemel, Indictionis decimæ ab incarnatione Domini, idem ſit Indictionis vndecimæ à natalis tempore. Quamobrem cum hoc anno Indictio decima à Caſſiodoro ponatur, vndecima ponenda à nobis eſſet, ipſa incipiente à menſe Septembri eiuſdem anni quingenteſimi ſexageſimiſecundi incarnationis Domini, qui deducitur vſque ad vigeſimamquintam menſis Martij anni huius, à quo tempore poſtea ſexageſimus tertius incipit numerari.

Marginal notes: a Aimoin. lib. 2. c. 29. — EPITAPHIVM CHILDEBERTI REG. — * clarus — f Greg. Tur. lib. 4. c. 20. — BASILICA S. MARTINI INCENSA. — DE AVREL. CASSIODORO. — * deſerant

VII. Quoniam vero maiores noſtri, qui Chriſti annis coniunxere Indictiones, eos non à natali Domini, ſed ab incarnatione (vt vides) incipiunt numerare: nos ad euitandas perplexitates eodem pariter ordine iungemus Chriſtianis Indictiones, ita vt præſenti anno, veluti ſit ab incarnatione inchoatus, ex ſententia Caſſiodori decimam ponamus Indictionem. Cæterum nequaquam fit præiudicium inſtitutæ chronographiæ; cum eodem anno & ſub iiſdem Cõſulibus (vt ſæpe dictum eſt) quo Chriſtus eſt incarnatus, pariter & natus ſit, curratq; idem annus, licet nõ eadem Indictio, abſoluta priori menſe Septembri, quo & ſequens inchoatur. Hæc igitur meminiſſe oportuit, vt in ponendis Indictionibus noſtri inſtituti ratio habeatur. Sed ad Caſſiodorum redeamus.

VIII. Vt autem tanti viri memoria noſtris Annalibus preſſius inhæreat, præter illa, quæ de ipſo ſuperius dicta ſunt, quæ ſunt reliqua, recolamus; ne qui nobis ſcribentibus quam plurima ſuppeditauit, ſuumque ſæculum mirifice illuſtrauit, ipſe obſcurus prætereat, atque ingrata nimis obliuione ſepeliatur inglorius. Qui igitur à tempore Theodorici Amali regis vſque ad Vitigem itidem Italiæ Regem apud ipſos Gothorũ Reges florentiſſime vixit, ſummis ſemper honorib. auctus, exaturatus ad nauſeam vſq; continuatione ampliſſimorum magiſtratuum, quo turbulentius mundi pelagus magis expertus eſt, eo libentius tenui cymba contulit ſe in ſolitudinem, exoptatum diu portum tranquillitatis, nempe in monaſterium à ſe conſtructum, de quo ipſe pluribus in libris de diuinis lectionibus *a* meminit; appellatque ipſum monaſterium Viuarienſe, ſiue Caſtellenſe, ita à loco denominatum, vbi (vt ait) piſcoſus amnis Pellena dictus ſe mittit in mare. Sane quidem vbi iſte ſitus fuerit, qui ab ipſo Caſſiodoro deſcribitur locus, haud facilis eſt inuentu: ex Gregorio tamen Romano Pontifice in Epiſtola ad Ioannem Scyllitanum Epiſcopum, vbi poſitum fuerit ipſum Caſſiodori monaſterium; quod Caſtellenſe nominatum tradit, poſſumus intelligere.

a Caſſiodor. de diuin. lect. l. 29. DE MONASTERIO CASSIODORI.

IX. Meminit enim ipſe *b* de Caſtellenſe, ſiue Caſtellienſe Monaſterio à Romanis Põtificibus priuilegiis communito, traditque collocatum fuiſſe apud ciuitatem Scyllitanam. Et ne quis putet ſanctum Gregorium de alio aliquo Scyllitano, ſiue Scyllacæo loco eſſe locutũ, quam de eo, qui in extrema parte Calabriæ, ſiue dixeris Magnæ Græciæ ſitus eſt, vbi famoſus Scyllæ contra Charybdim ſcopulus imminet, à quo ciuitas nomen accepit: ſatis id intelligere poſſumus ex alia Epiſtola *c* eiuſdem Gregorij Papæ ad Secundum Tauromenij Epiſcopum data, cui committit cauſam eiuſdem Caſtellienſis monaſterij monachorum. Eſſe autem Tauromenium in Sicilia ciuitatem ex aduerſo littore poſitam, nemo ignorat. Cæterum de Pellena amne nuſquam mentionem reperimus. At ex his, quæ dicta ſunt, minime induci poſſumus, vt credamus (quod alij dicunt) Caſſiodori monaſterium in Rauennate fuiſſe territorio collocatum. Remotiora videtur quæſiſſe loca, qui ſeculo nuncium omnino remiſit, & non vbi aſſiduo bella vigebant.

b Greg. l. 7. Indict. 1. epiſt. 13.

c Greg. l. 7. Indict. 1. epiſt. 31.

X. Sed cur duo nomina vni monaſterio ab ipſo indita, cum eiuſmodi affixit titulum loco deſcriptionis, videlicet, *De poſitione monaſterij Viuarienſis, ſiue Caſtallenſis*, accipe quæ ipſe in fine eius capitis habet his verbis: *Si vos in Monaſterio Viuarienſi (ſicut credere dignum) diuina gratia ſuffragante cœnobiorum conſuetudo competenter erudiat, & aliquod ſublimius defæcatos animos optare contingat: habetis montis Caſtelli ſecreta ſuauia, vbi velut anachoritæ, præſtante Domino, eſſe poſſitis: ſunt enim ſemota & imitantia eremi loca, quando muris priſtinis ambientibus probantur incluſa.* A viuarijs vero piſcium Viuarienſe monaſterium eſſe dictum, ipſe ſuperius teſtari videtur, vbi ait: *Maria quoque nobis ita ſubiacent, vt piſcationibus variis pateant, & captus piſcis, cum libuerit, viuariis poſſit includi. Fecimus illic, iuuante Domino, grata receptacula, vbi ſub clauſtro fideli vagetur piſcium multitudo, ita conſentanea montium ſpeluncis, vt nullatenus ſe ſentiat captum, cui libertas eſt eſcas ſumere & per ſolitas ſe cauernas abſcondere.* hæc de loco & nominibus monaſterij.

COENOBITO ET ANACHORETIS LOCVS APTVS.

Porro ita ipſum optime, ciuitatis inſtar, inſtituit, vt nihil Deo ſeruientibus ex iis deeſſet, quæ Chriſtiano philoſophanti ad rerum diuinarum contemplationem conducerent. deſcribit ipſe *d* eadem vtenſilia: vbi & de lucernis ex Archimedis officina ſumptis hæc mira: *Parauimus etiam nocturnis vigiliis mechanicas lucernas conſeruatrices illuminantium flammarum, ipſas ſibi nutrientes incendium, quæ humano miniſterio ceſſante, prolixe cuſtodiant vberrimi luminis abundantiſſimam claritatem: vbi olei pinguedo non deficit, quamuis flammis ardentibus iugiter torreatur.* & de horologiis iſta mox ſubiicit: *Sed nec horarum modulos paſſi ſumus vllatenus ignorare, qui ad magnas vtilitates humani generis noſcuntur inuenti. Quapropter horologium vobis, quod Solis claritas indicet, præparaſſe cognoſcor: alterum aquatile, quod die noctuque horarum iugiter indicet quantitatem: quia frequenter nonnullis diebus Solis claritas abeſſe cognoſcitur, miroque modo in terris aqua peragit, quod Solis flammeus vigor deſuper modulatus excurrit. ita, quæ natura diuiſa ſunt, ars hominum facit ire concorditer; in quibus fides rerum tanta veritate conſiſtit, vt quod ab vtriſq; geritur, per internuncios exiſtimes conſtitutum. Hæc ergo procurata ſunt, vt milites Chriſti certiſſimis ſignis admoniti, ad opus exercendum diuinum quaſi tubis clangentibus euocentur.* hæc ipſe.

XI. *d Caſſiod. diuin. lectio. c. 29. 30.* DE LVCERNIS ET HOROLOGIIS.

XII. Sed quod omnibus præſtat, egregiam plane eiſdem vitam monaſticam excolentibus ibidem bibliothecam conſtituit, quam & in commentario Inſtitutionis diuinarum lectionum deſcripſit, quo & effecit, vt, (quod in eius præfatione profitetur) cum bellis pax eſſet in Italia vbique turbata, ob idque ad diſcendum ſcholæ minime eſſent apertæ, ipſe addiſcere cupientibus doctores velut in cathedris conſtituerit, cum eorum ſcripta per nouem (vt ipſe teſtatur *e*) diſtincta armaria ibidem collocauit. Sed audi conſilium eius, quod præfando declarat his verbis: *Quoniam non habet locum res pacis temporibus inquietis: ad hoc diuina charitate probor eſſe compulſus, vt ad vicem magiſtri, introductorios vobis libros iſtos, Domino præſtante, conficerem, per quos (ſicut æſtimo) & ſcripturarum diuinarum ſeries, & ſecularium litterarum compendioſa notitia, Domini munere panderetur.*

DE CASSIODORI BIBLIOTHECA.

e Caſſiod. Inſt. diuin. lect. c. 8.

XIII. Et poſt hæc, quid è ſingulis ſit accipiendum libris, ſic vtiliter admonet: *In quibus non propriam doctrinam, ſed priſcorum dicta commendo, quæ poſteris laudare fas eſt, & prædicare glorioſum. Quoniam quicquid de priſcis ſub laude Domini dicitur, odioſa iactantia non putatur.* & paulo poſt, non propriam, ſed priſcorum eſſe in diuinis rebus ſententiam ſectandam, his verbis edocet: *Quapropter, dilectiſſimi fratres, indubitanter aſcendamus ad diuinam Scripturam per expoſitiones probabiles Patrum, velut per quandam ſcalam viſionis Iacob f: vt eorum ſenſibus prouecti, ad contemplationem Domini efficaciter peruenire mereamur. iſta enim fortaſſe ſcala Iacob, per quam Angeli aſcendunt atque deſcendunt, cui Dominus innititur, lapſis porrigens manum, & feſſos aſcendentium greſſus ſui contemplatione ſuſtentans.* hæc ipſe: qui & quæ tyronem deceant, quæve profectioribus ſint proponenda, magna habita diſcretione, partitur.

AB ANTIQVIS PETENDA DOCTRINA.

f Gen. 28.

XIV. Præter autem ſanctorum Patrum variis ſcriptorum monumenta, recentiorum lucubrationes recenſet auctorumq; vt Dionyſij Exigui, Epiphanij, Bellatoris, Eugipij, Primaſij, quorum omnium ſuperius ſuis locis fecimus mentionem. Meminit & Mutiani viri diſertiſſimi, cuius ſe opera vſum tradit, vt trigintaquatuor homilias S. Ioan. Chryſoſt. in epiſtol. Pauli ad Hebræos Latinitati donaret. Porro hunc crediderim Mutianum illum fuiſſe, qui ſententiam Quintæ Synodo & Rom. Pontificibus in damnatione Trium capit. redarguentemque Africanos obſtinate nimis reſiſtentes, & ſchiſmate ſe ab Eccleſia Catholica diuidentes: aduerſus quem Facundus Hermianenſis Epiſcopus opuſculum ſcripſit, cuius ante meminimus.

DE MVTIANO.

XV. Agit præterea Caſſiodorus, dum relegit ſuam bibliothecam, de quodã Petro Abbate in Africa: cuius ſcripta dum recenſet, hæc agit *g*: *Petrus Abbas Tripolitanæ prouinciæ S. Pauli Epiſtolas exemplis opuſculorum S. Auguſtini ſubnotaſſe narratur, vt per os alienum ſui cordis declararet arcanum: quæ ita locis ſingulis competenter aptauit, vt hoc magis ſtudio*

g Caſſiod. Inſt. diuin. lect. c. 8. DE PETRO TRIPOLITANO.

beati Auguſtini credas eſſe profectum. Mirum eſt enim ſic aliena verba alteris dilucidaſſe, vt nulla verborum ſuorum adiectione permixta, deſiderium cordis proprij compleſſe videatur: qui nobis inter alios codices, diuina gratia ſuffragante, de Africana parte mittendus eſt.* hæc de Petro Caſſiodorus.

XVI. Tu vero ſcito, lector, eiuſdem Petri extare labores, ſed Bedæ nomine editos; quod vt probaret, qui præfationem præfixit operi Bedæ quædam verba id teſtantia recitat, ſed cum citat ad finem (verbi) hiſtoriæ ipſius appoſita: ſed cum deſiderentur illa in ipſa recentiori eiuſdem Bedæ editione, impoſturam arbitror. Abſit à Venerabili Bedæ probitate, alienos ſibi partus ſuppoſuiſſe. Sed ſicut Bedæ illud opus non eſt, ita nec Flori Abbatis, cui à Sigeberto tribuitur. Quis vero eius ſit legitimus auctor, ſatis definitam habes iam, nempe eſſe opus illud Petri Abbatis Tripolitani: quod (vt vidimus) Caſſiodori teſtificatione monſtratur.

XVII. Inter alios autem illuſtres viros, quorum ibidem Caſſiodorus meminit, Euſebius cæcus eſt nemini ad notus niſi qui commentarium illum legerit: de ipſo enim hæc habet, dum de Didymo Alexandrino agit: *De Didymo quod ſcribitur, mihi penè impoſſibile videbatur eſſe, cum legerem: niſi de partibus Aſiæ quendam ad nos venire Euſebium nomine cognoſcerem, qui ſe infantem quinque annorum ſic excæcatum eſſe narrabat, vt ſiniſtrum eius oculum excauatum orbis profunditas indicaret: dexter vero globus vitreo colore confuſus, ſine videndi gratia infructuoſis ictibus voluebatur. Hic tantos auctores, tantos libros in memoria ſuæ bibliotheca condiderat, vt legentes probabiliter admoneret, in qua parte Codicis quod prædixerat inuenirent. Diſciplinas omnes & animo retinebat, & expoſitione planiſſima lucidabat*, & poſt alia de eius lucubrationibus: *Quem tamen adhuc Nouatianæ prauitatis errore deceptum, miſericordia Domini ſuffragante rectæ fidei credimus illuminatione complendum, vt quem ſcripturas ſuo animo fecit diſcernere, ſubeat Catholicæ fidei integritate pollere.* hæc Caſſiodorus.

XVIII. Sed iam ipſius recenſeamus Caſſiodori lucubrationes, quas in eadem collocauit bibliotheca, & quo ordine ſcriptas fecerit, perno ſcamus. Scripſit per breue Chronicon vſque ad annum Domini quingenteſimum decimumnonum, à Theodorico Rege petente: itemque de rebus Gothicis duodecim libros, vt ipſe tradit in Variarum præfatione, dudumque & Iordanis, qui eos in compendium redegit. Variarum inſuper duodecim libros collectos epiſtolarum in eadem bibliotheca poſuit aſſeruandos. Mox vero ſcripſit librum de Anima, vt ipſe teſtatur, cum hæc ſcribit: *Cum iam ſuſcepti operis optato fine gauderem, meque duodecim voluminibus iactatum quietus portus exciperet, vbi eſt immerito datum, certe liberatus à curis, amici ... ſolamur in cogitatis mihi exponi poſtulans, vt aliqua quæ tam in libris ſacris, quam in ſæcularibus abſtruſa cognoueram, de animæ ſubſtantia, vel de eius virtutibus aperirem, &c.* habet id ipſum in vndecimo libri Variarum præfatione. Porro ex dictis etiam illud apparet, tamdiu permanſiſſe ipſum in ſæcularibus curis, quamdiu vixere illi Gothorum reges, quibus in ampliſſimis præfecturarum ordinibus militauit vſque ad Vitigam: inde vero ſæculo hic tumultuanti renunciaſſe, atque monaſterij capeſſiſſe quietem: cuius iam degeſtans ſpiritalis vitæ dulcedinem, cratere potatus ſapientiæ, hoc eructabat, ſtyloque pingebat, quo erat plenus interius: nam in fine eiuſdem opuſculi: *Tibi itaque Domino (inquit) vel illum ſit ſeruire, quam mundi regna capeſſere; quando ex ſeruis filij, ex impiis iuſti, de captiuis redimuntur abſoluti, &c.*

XIX. Tunc temporis etiam, hortatu Summi Pontificis, Pſalmos accepit interpretandos, vt ipſe profitetur, cum ait in ipſius operis præfatione his verbis: *Repulſis aliquando in Rauennati vrbe ſollicitudinibus dignitatum, & curis ſæcularibus noxio ſapore conditis, cum Pſalterij cæleſtis animarum melle guſtaſſem, &c.* in fine autem: *Quocirca (inquit) Pater Apoſtolice, qui cæleſtes litteras ſanctis meis tu reddidiſti præſtantius, tua miſeratione prouocatus abyſſum diuinam ingredior.* Ea ſcriptione perfecta, ad Salomonis Parabolas ſtylum conuertit: id enim ipſe pollicitus eſt in fine eiuſdem commentarij ſuper Pſalmos: itemque in Inſtitutione diuinarum lectionum ſuper Pſalmos à ſe editas lucubrationes affirmat: ſed & in Parabolas Salomonis meminit in prologo c aliqua commonuiſſe. Quos autem poſt hæc ipſe ediderit commentarios, audi ipſum eoſdem hoc ordine recenſentem d: (c Caſſiod. Inſt. diuin. lect. cap. 3. d Caſſio. de Orthogra. in præf.)

XX. CASSIODORI LVCVBRATIONES. *Iam tempus eſt, vt totius operis noſtri concluſionem facere debeamus, vt melius in animo recordamur, quæ ſeptenaria concluſione diſtincta ſunt. Prima poſt commenta Pſalterij, vbi præſtante Domino conuerſionis meæ tempore primum ſtudium laboris impendi. Secunda deinde poſt Inſtitutiones quemadmodum diuinæ & humanæ debeant intelligi lectiones duobus libris (vt opinor) ſufficienter impletur, vbi plus vtilitatis inuenies, quam decoris. Tertia poſt expoſitionem epiſtolæ quæ ſcribitur ad Romanos, vnde Pelagianæ hæreſeos prauitates amoui, quod etiam in reliquo commentario facere ſequentes admonui. Quarta poſt codicem, in quo artes Donati cum commentis ſuis & librum de Etymologiis, & alium librum Sacerdotis de Schematibus, Domino præſtante, collegi: vt inſtructi ſimplices fratres vbi neceſſe fuerit, ſimilia dicta ſine confuſione percipiant. Quinta poſt librum quoque titulorum, quem de diuina Scriptura collectum, Memorialem volui nuncupari, vt breuiter cuncta percurrant, qui legere prolixa faſtidiunt. Sexta poſt complexiones in epiſtolis Apoſtolorum, & Actibus Apoſtolorum & Apocalypſi quaſi breuiſſimas explanationes decurſas. Septima ad amantiſſimos Orthographos diſcutiendos anno ætatis meæ nonageſimo tertio, Domino adiuuante, perueni.* hæc ipſe de ſuis ſcriptis hactenus editis.

XXI. CASSIODORI IN SENECTVTE LABORES. In quibus omnibus ſane admirari non deſino doctiſſimi viri incredibilem animi demiſſionem, facti (ſecundum Apoſtolum e) omnia omnibus: etenim non quæ ſua ſunt quærens, ſed aliorum, prima etiam rudimenta in decrepita ſenectute monachos veluti pueros docere voluit, & tamquam puerorum manum tenere, & ad characteres recte formandos ducere non recuſauit: in eorumdem enim fratrum vtilitatem plurimum ſe laboris inſumpſiſſe teſtatur, vt ſecundum orthographiam iam librariorum incuria prætermiſſam, ad vtilitatem legentium, ſacros codices reſtituerent: nam audi ipſum, dum in præfatione Inſtitutionis diuinarum lectionum hæc ait: *Illud quoque credidimus commouendum, Sanctum Hieronymum ſimplicium fratrum conſideratione pellectum, in Prophetarum præfatione dixiſſe, propter eos qui diſtinctiones non didicerunt apud magiſtros ſæcularium litterarum, colis & commatibus tranſlationem ſuam ſicut hodie legitur diſtinxiſſe. Quod nos tali viri auctoritate commoniti, ſequendum eſſe iudicauimus, vt cætera diſtinctionibus ordinentur, &c.* Verum licet diligentiſſimis Notariis opus delegarit, ipſe tamen plurimum laboris inſumpſit, vt cunctos à ſe in bibliotheca poſitos codices cum aliis antiquis voluminibus ſedulo legendo conferret. Sed qua hæc tanta ipſe mercede? in fine operis noſtra ipſius verba audi: *Valete fratres, & quæ in orationibus veſtris mei memores eſſe dignemini: qui inter cætera & de Orthographiæ virtute, & de diſtinctione ponenda (quæ res in pretioſa cognoſcitur) ſub breuitate commonui, & quemadmodum Scripturæ diuinæ intelligi debeant, copioſiſſime legenda præparaui: quatenus ſicut ego vos ab imperitorum numero ſequeſtratos eſſe volui, ita nos virtus diuina non patiatur cum nequiſſimis pœnali ſocietate coniungi.* (e 1. Cor. 9.)

XXII. CASSIODORVS QVÆ ETIAM SVOS DOCVIT. Sed quid poſtea? num hic finis eius didaſcaliæ? minime gentium. Etenim poſt hæc, quos recte ſcribendi facultatem docuit, eoſdem arte Grammatica reddere voluit diligenter excultos, dum eiuſdem de eadem Grammatica librum conſcripſit: ſed & poſtea de Rhetorica breue addidit compendium, de Dialectica etiam copioſius volumen, nec non de Arithmetica, de Muſica, de Geometria & Aſtronomia, non euaneſcens quidem in Philoſophorum ſententiis, ſed ea perſecutus, quæ lectorem ſobrium reddunt ac pium: nam hæc habet in fine libri de Aſtronomia: *Nobis ſufficit, quantum in Scripturis ſacris legitur, tantum de hac arte*, nempe Aſtronomia, *ſentire: quia nimis incertum eſt, hinc humanam ſequi ſententiam, vt de quantis nobis expediat, diuinam noſcimus habere coſtrum.* hæc ipſe, exploſa penitus à Fidelium corde ea quam iudi-

diciariam dicunt, Aſtronomia, euenta hominum præſignante. Ad poſtremum autem libellum addidit de Paſchali cōputo, quem hoc ab eo anno eſſe elucubratum, ex annorum numero poſt Baſilij Conſulatum deſignato (vt dictū eſt) ſatis manifeſte apparet: an autem poſt hæc aliquid ſcripſerit, nobis ignotum; quantumque vitam duxerit, pariter incompertum; ſed prope centenarium ex hac vita migraſſe, ex dictis poſſumus opinari.

XXIII. a Caſſio. in præf. Var. RELIQVÆ CASSIODORI ELVCVBRATIONES. Quod autem ad reliquas ſuperius non numeratas Caſſiodori lucubrationes pertinet: ante duodecim libros Variarum ipſe de ſe teſtatur a, dixiſſe panegyricos Regibus atq; Reginis; inſuper Eccleſiaſticam hiſtoriam ex Socrate, Sozomeno atque Theodoreto tripartitam contexiſſe, iiſdem auctoribus (vt ipſe affirmat) ab Epiphanio in Latinum verſis. Addidit de Schematibus & tropis libros duos, quos ante libros de Orthographia poſitos habes. Sic igitur, qui vegetiorem ætatem in optima regni gubernatione vtiliter honorificeque conſumpſit, nec in decrepita ſenectute labores ad res diuinas conuerſos vel minimum intermittens, in ſuo monaſterio tandem ſancto fine quieuit, ad monaſterij curam duobus præfectis Abbatibus viris ſanctiſſimis, Chalcedonio ſcilicet atque Geronio, quorum alter Viuarienſibus cœnobitis, Caſtellenſibus alter præeſſet ibidem inductis anachoretis. At de Caſſiodoro ſatis.

IESV CHRISTI
Annus 563.

IOANNIS PAP. IVSTINIANI IMP.
Annus 4. Annus 37.

I. IVSTINIA. IMPER. LAPSVS. QVingenteſimo ſexageſimo tertio Chriſti anno, poſt Conſulatum Baſilij vigeſimo ſecundo, numerari cœpto Indictionis vndecimæ, noui de fide tumultus Eccleſiam Conſtantinopolitanam perturbant, cum ſe Iuſtinianus Imp. infelix in hæreſim præcipitem dedit. Hūc tandem conſecuta eſt finem reprehenſibilis Imperatoris curioſitas, atque temeritas in miſcendis ſacris, ſummus velut Antiſtes eſſet. Qui igitur compoſitam à prædeceſſore Iuſtino pacem inuenit, fidemque Catholicam ſtabilitam, vndique compreſſis hæreticis; dum quæ ſunt Sacerdotum, ſibi nimium arrogat, & Pontificum partes vſurpat, pacem profligat, fidemque in diſcrimen ſæpe adducit, atque tandem penitus labefactat. Ita plane homini accidit, non quæ ſunt Cæſaris tantum ſibi ſumenti, ſed & quæ Dei procaciter vſurpanti. Sed hæc quomodo ſe habuerint, videamus.

II. VNDE IVSTINIANO RVINA. Vbi ſemel pacis & concordiæ Eccleſiaſticæ ineundæ velamento cœpit Iuſtinianus Imperator cum hæreticis habere conſuetudinem, quos procul pellere, & more Catholicorum Imperatorum in exilium mittere debuiſſet; plane accidit, vt eorum venena minus caute vitarit: dumque aduerſantes ſibi Romanos Pontifices (vt vidimus) aduerſari cœpit & perſequi, factum eſt, vt tum maiorem fiduciam conciliaret hæreticis, tum etiam aduerſus eos clamantium ora Orthodoxorum obſtruxerit, ex quibus partes hæreticorum redditæ fuerint firmiores. Sed & quod iidem eſſent inter ſe confligantes hæretici ad inuicem ſeparati; æque factum eſt, vt (quod conſueuit in ludis Circenſibus) alteri ipſorum parti aduerſus alteram fautorem ſe Imperator addixerit, ſicuti magnis animis ſummoque conatu aduerſus Venetos Praſinis ſtuluiſſe ſtuduiſſe meminimus.

III. HÆRETICI INTER SE CONTRARII. Erat vtraque pars ex Eutychianorum ſecta progrediens, quarū altera Corrupticolarum, altera vero Gaianitarum, ſiue Aphthardocitarum, ſiue Incorruptibilium, vel Phantaſiaſtarum nominabatur; quarum altera à Seuero, à quo & Seueriani hæretici dicti fuere, altera vero à Iuliano Pſeudoepiſcopo Halicarnaſſeo eodem tempore Alexandriæ principium duxit, prout ſuo loco ex Liberato b diacono & Leontio Scholaſtico c ambobus ſuorum temporum rerum ſcriptorib. dictum eſt. Teſtatur vero Leontius, præualuiſſe ſententiam Aphthardocitarum; ex quo factum eſſe, vt pulſo Theodoſio hæretico Eutychiano Epiſcopo Alexandrino Corrupticolarum fautore, in locum eius ſubrogatus fuerit Gaianus potentiſſimus defenſor incorruptibilitatis, à quo eius ſententiæ ſectatores dicti fuerint Gaianitæ. Hi enim ſic incorruptibilem & paſſionum expertem penitus Chriſti carnem dicebant, vt tamen, ſi voluiſſet, eandem ſubiicere paſſionibus valuiſſet.

b Liberat. diac. in Breuiar. c. 19. &c.
c Leont. de ſect. act. 5. & 10.

IV. ECCLESIÆ CATHOLICÆ SENTENTIA. At contrarium omnino profitetur Eccleſia Catholica, ita aſſumptam à Deo carnem paſſionibus abſque peccato fuiſſe ſubiectam, vt tamen, ſi voluiſſet, vel, quando voluiſſet, ab eiſdem ſe liberum reddere potuiſſet: quamobrem qui erant in carne Chriſti eiuſmodi naturales affectus, non paſſiones, ſed propaſſiones Theologi Orthodoxi nominauerunt, nempe vt cum vellet ipſe, tantum inſurgerent; & ſi nollet, nequaquam ipſi dominarentur. Ex priori autem ſententia illud deducebatur abſurdum, vt vna tantum eſſet in Chriſto voluntas: ex poſteriori autem recta illa Catholicaq; aſſertio, vt ſicut duæ prædicantur in Chriſto naturæ: ita pariter & duæ voluntates affirmarentur. Quamobrem factum eſt, vt ex illa priori ſententia exorta fuerit Monothelitarum hæreſis, quæ diu multumque Eccleſiam Catholicam perturbauit, vt ſuo loco dicturi ſumus. Porro eo magis culpanda fuit horum hæreticorum de incorruptibilitate ſententia, quo eam ſcire potuiſſent in Hilario eſſe damnatam non à recentioribus tantum, ſed & à Claudiano d Mamerto Epiſcopo Viennenſi; licet in meliorem ſenſum Hilarij dicta recentiores e acceperint, excuſetque idem Claudianus virum ſanctiſſimum.

d Claud. Mamert. lib. 2. c. 9.
e Magiſt. ſent. lib. 3. diſt. 15.

V. Contraria vero ſententia dicentium Verbum corpus ſuſcepiſſe paſſionib. ſubditum, in eo à Catholicis diſcrepabat, quod id illi neceſſitate incubuiſſe traderent, vt etiam ſi noluiſſet, illis inſeruire cogeretur: vnde & in illam deteriorem prolapſi ſunt hæreſim, qua ab ignorantia dicti ſunt Agnoitæ, vtpote qui dicerent neſciſſe penitus Chriſtum iudicij magni tempus; quod ſcilicet ignorantiæ paſſio ita ipſi inhæſerit, vt quod neſciret ſua natura, eadem noſſe minime potuiſſet. Sic igitur ab vno eodemque Eutychianæ hæreſis lutoſo fonte turbidos hos vidēas riuos Corruptibilium & Incorruptibilium hæreticorum manaſſe rurſumq; ex illo Agnoitarum, ex iſto autem Monothelitarum eſſe hæreſes propagatas: Cum è contra Catholica Eccleſia cœnoſos hoſce Ægypti lacus declinans, bibens aquam (vt monuit f Sapiens) de ciſterna ſua, eandem in plateas deriuans, ſic aſſeruit atque docuit Chriſti corpus ſubditum fuiſſe paſſionibus, vt non niſi volentem illæ eundem appetere poſſent. vnde & olim Propheta g: *Oblatus eſt, quia ipſe voluit.* & ſic in eodem duas nouit & docuit voluntates, vt tamen quæ eſſet ſecundum humanam naturam ei, quæ ſecundum diuinam in omnibus & ſemper ſubditam eſſe noſſet.

f Prou. 5.
g Iſai. 53.

VI. Iuſtinianus igitur vbi ſemel de dogmatibus edicta faciendi ſibi arrogauit auctoritatem, ad huiuſmodi dirimendas quæſtiones haud more maiorum Orthodoxorum Imperatorum conſulendam ſibi putauit Apoſtolicam ſedem (ſicut antea ſæpe ipſum feciſſe vidimus) neque coacto aliquo prouinciali ſaltem Cōcilio, quid ſentiendum eſſet, explorauit Patrum ſententias: ſed quid ab vniuerſa Catholica Eccleſia credendum, atque prædicandum foret ab omnibus Orthodoxis, ſuper omnes Epiſcopos eleuans ſibi Thronum, non ſecus ac Antichriſtus in templo Dei erigens ſibi cathedram, & extollens ſe ſupra id omne, quod colitur, de ſtabilienda perfidia leges ſacrilegas ſancit, atque de hæreſi conſcribit edicta: vt plane lugubre illud Hiereſiæ h fuerit omnibus Orthodoxis ex imo corde ductis ſuſpiriis exclamandum: *Obſtupeſcite cœli, & portæ eius deſolamini,* ob tam grande peccatum Imperatoris, cum relinquens venam aquarum viuentium, effodit ſibi ciſternas diſſipatas.

h Hier. 2.

VII. Viſum plane tunc fuit in Eccleſia contra Eccleſiam

monſtri in